DE GASTROMALACIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE XX. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXXVIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FRIDERICUS BINGEN
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:
J. P. DECKER, MED. ET CHIR. DR.
A. MALLINCKRODT, MED. ET CHIR. DR.
R. SCHEIDER, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO AMICISSIMO

AFFINITATE SIBI CONJUNCTO

FRIDERICO GROTHAUS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

GASTROMALACIA. PERFORATIO VENTRICULI SPONTANEA. GASTROBROSIS. DIABROSIS VENTRICULI. DEGENERATIO VENTRICULI GELATINOSA SEU PULPOSA.

Recentiori demum tempore hic morbus, quem Hunterus ut peculiarem morbum primus vindicavit, accuratius observatus et descriptus est. Jaegero autem maxima debentur merita, quod hunc morbum et accuratius observavit, et ejus naturam multo studio animique attentione indagavit. Qui vir apud infantes tantum gastromalaciam vidit, neque vero apud eos, qui nondum quartum mensem attigerant, neque eos, qui duodevicesimum mensem assecuti erant, unquam eam observavit. Quid, quod multi alii similia exempla promulgaverunt, ut Witke (1), G. H. Ebermayer (2) aliique; verum haecce exempla apud senes propemodum observata sunt. Nobis autem liceat, hanc affectionem talem exponere, qualis apud infantes occurrit eosque, qui a mammis jam desuefacti sunt. Potest quidem hic morbus cohaerere cum inflammatione aliqua, plerumque

1) Rusts Magazin Bd. 38 S. 83.
2) ebendas. Bd. 46 S. 43.

tamen aut ex propensitate ad morbum aliqua omnino proficisci, aut aliis morbis succedere videtur. Quibus rebus fit, ut singulorum casuum, qui occurrunt, symptomata maximopere differant. Verum tamen vomitus et diarrhoea vix et ne vix quidem desiderantur, neque sunt plures infantes, a quibus longius progresso morbo, cum systematis nervosi, tum praecipue cerebri, magna affectio abfuerit. Qui morbus si summum gradum assequutus est, semper letalis, nunc intra horas viginti quatuor cursum suum absolvit, nunc intra tres dies, aut quatuor, nunc denique intra octo vel decem, immo sunt, qui per plures hebdomades hunc morbum vidisse dicant. Qui quidem varius decursus persuadere nobis videtur, duce C. Nagelio nunc acutum, nunc chronicum morbum nominandum esse, atque haud scio, an haec divisio id possit efficere, ut singulorum casuum symptomata omnino melius perspiciantur.

I. Gastromalacia acuta: Febris brevissimo tempore et quidem cum vehementia quadam accedit; pulsus arteriarum frequentissimus est, et mollis plerumque, at vero apud nonnullos duriusculus, sed minor paullatim ac minus aequalis. Quae febris per dies noctesqe existit; neque quidquam vehementiae ejus detrahitur; cutis arida et sicca; respiratio cita superficialis et inaequalis, spiritus tamen debito non siccior. Dyspnoea minor, si discedas a tussi et singultu et ructu leviori. Doloris colici leves insultus, borborygmi, flatus difficiles et foetidi, meteorismus, nonnunquam diarrhoea. Excrementa non faeculenta, neque, ut in atrophia inveniuntur, luto vel humori luteo similia, sed mucum mollem imitantia, nec raro inveniuntur e flavo viridia, vel e flavo

fusca. Nec desunt, quae sordido, subalbido, argillaceo humori similia sint. Immo etiam nonnunquam flocculi mucosi et rubicundi sunt immixti, odoris mali, acerrimi, acidi. Qui flocculi, glutinis instar, infantis vestibus adhaerent. Quae sedes nunc aut semel, aut aliquoties per diem eduntur, nunc decies quinquies intra horas vinginti quatuor; sed singulis vicibus nonnisi pauca evacuantur eaque cum gemitu multo pedumque motu. Vires infantis magis magisque debilitantur, id quod post singulas sedes observare licet, ac nonnisi lente recreantur. Quarum faecium irritatio perinaeum rubrum reddere potest et inflammatum, imo vero gangraenosum. Perhorrescunt infantes nutrimenta solida, potus autem etiam atque etiam appetunt, inquies iis est summa, ut nunc mammam prehendant, nunc dimittant, tanquam dolorem in ore sentiant. Quae inquies e pedum frequenti adductione et extensione (pedis autem sinistri adductionem vix quispiam signum pathognomonicum putaverit) cognoscitur, atque ex gemitu continuo et unisono, qui per diem ac noctem auditur, nec non ex desiderio eorum magno, ut circumflcrantur, quorum signorum ultimum et penultimum pathognomonicum habendum est. Meteorismus ille, de quo diximus, nunc minor, nunc major, nunc diuturnus, nunc modo brevis est, nec saepe durum abdomen, sed molle plerumque, quanquam sunt infantes, in quibus et ventriculus et totum abdomen tensum invenitur. Abdominis adauctus nonnunquam calor, nunc dolor omnino nullus, nunc, dummodo premas leviter, dolor adauctus; quid, quod sunt, qui ne minimum quidem tactum ferant et quorum ventriculus aut hypochondrium sinistrum maxime sensibile appareat. Fa-

cies arida, rubore parum adaucto conspicua, perquam collapsa. Oculus anxietatis speciem prae se fert, minime tamen, qualis in atrophia, hebes est, sed vigidus et nitidus. Pinnas narium coeruleas saepenumero esse, nonnulli affirmant. Cavitas oris et lingua rubra, altera initio quidem obducta et albida. Ineunte autem morbo vomitus incidit, qui medicamento fere nullo tolli potest, et singultus. Qui vomitus plerumque usque ad morbi finem observatur. Evacuantur autem vomitu humores aquei, vel sublutei, qui saepenumero sordidi sunt, colorisque flavi, aut e viridi flavi; nonnunquam autem in iis materia quaedam glutinosa, conjuncta subinde cum lacte plane coagulato, si lacte nutritur infans. — Quo facto infantes semper in statum quendam incidunt, animi deliquio non dissimilem, quo quidem in statu et sitis et inquies magnopere adaugentur. Urina parca quidem, sed sine ullo dolore mingitur. Ineunte autem die quarto, plerumque morbus noster alterum stadium ingreditur atque perdurante febri, aegrotus die septimo vel octavo morte abripitur, nisi morbus minorem gradum assequatur in primo stadio, atque formam chronicam induat. Ineunte autem altero stadio, macies aegrotorum summa, quae in collo praesertim apparet. Musculi laxi ac jam fere turgoris expertes. Oculi subsidentes, nasus magis acuminatus; accedit saepenumero tumor palpebrarum et pedum oedematosus. Cutis laxitatem ad paralysin proxime accedere dicit Rombergius. Quo in stadio stupor magis magisque adaugetur. Sopor autem genuinus non reperitur, sed potius agrypnocoma, quod a sopore hydrocephali admodum differt. In lectulo jacent infantes, ad alterum humerum caput demit-

tunt ac dormitare videntur. Si vero iis acclamat quisquam, paulisper vigiles redduntur. Quae res quantopere a consumtione virium pendeat, luculenter potes videre. Etenim si strepitus circa eos oritur, aut si quis eos adit, gemitus ille unisonus sátis ostendit, quam bene sentiant. Vomitum autem morbi semper remissio subsequitur, cui supervenit plerumque major virium consumtio. Oculi saepius semiclausi ac sursum versi, bulborum autem axis nonnunquam mutatus. Frontis et occipitis calor non adauctus esse solet. Omnino hoc tempore nunc frigidiores, nunc calidiores corporis partes inveniuntur. Faciei et artuum frigus levius plerumque. Sudor nullus, nisi forte sub humeris et in dorso appareat. Urinae et hoc tempore secretio parca, sed nullus inter mingendum dolor. Quo minores evadunt vires, eo tardior et obscurior respiratio. Aliquot dies ante mortem tussis remittit et diarrhoea, nec quidquam praeter vomitum, qui sumtos potus subsequitur, usque ad mortem perstat. Cruveilhier adeo aliquot dies ante mortem aegroti statum in melius verti videri contendit. Haud raro accidit, ut post inquietem gravissimam et anxietatem et sitim, pulsus tremulus fiat, et vix sentiri possit. Respirationis et pulsus intermissio, lipothymiae frequentiores reditus, labiorum pallor, turgor nullus, oris hiatus. Dum autem omnia symptomata remittunt, mors accedit, aut eam spasmi nonnunquam antecedunt.

II. Gastromalacia chroniea. Prodire solet e primo gastromalaciae acutae stadio, si minori vehemeutia ac celeritate symptomata in medium proferuntur. Infantes, appetentia ciborum distituti, morosi, male contenti sunt, obstipatio, nonnunquam diarrhoea; quem statum paren-

tes a dentitione pendere putant, nec prius advocare medicum solent, quam summa macies et diuturna diarrhoea vitae magnopere minitantur. Quo in morbo febris eaque serius orta, minor est et febris continuae remittentis formam induit, eamque auctore C. Nagelio, primis morbi diebus. Solet parvus et debilis esse pulsus. Quae febris per plures dies vix cernitur, ac videtur morbus remittere; quo autem facto luculentius cognoscitur. Remissiones febris ad oculos cadunt horis potissimum matutinis. Pro eo, qui in fronte fuit et in vola manus ardore, nunc potius frigoris pauxillum accedit. Pulsus igitur mollior, tardior, major. Sensus etiam communis alienatus, laetior igitur aegrotorum animus, quid, quod ludis nonnunquam delectantur. Neque quidquam aliud his in exemplis quam macies aegrotorum summa id effecit, ut, quantus sit morbus, possimus cognoscere. Musculi jam omnes laxi, cutis flava et sicca, eaque in collo maxime contracta; in artubus autem iisque praecipue inferioribus caro fere nulla. Facies ipsa, quanta sit affectio, satis ostendit; nasus enim acuminatus, oculi collapsi, vultus vagus quodammodo, atque consentaneus magnae infantium inquieti, qui nullibi conquiescunt, sed ut huc et illuc circumferantur, etiam atque etiam flagitant. Gemitus infantium continuus, non nisi horis matutinis, quibus tranquillitas summa exstat, per nonnullas horas aliquantulum dormiunt; qui somnus tantum abest, ut viribus infantium aliquid possit succurrere, ut vel minimo crepitu interrumpatur. In somno autem lectuli tegmenta abjiciunt infantes, ut nudi jaceant, dormiunt oculis semiclausis. Quam primum autem excitantur, perquam inquieti fiunt, omnino e lectulo auferendi

sunt et statim gemitus ille miser recurrit. Primordia morbi sequitur diarrhoea, quae per breve tantum tempus remittit et usque ad nonnullos ante mortem dies existere solet. Quae diarrhoea imprimis haud scio an celerem illam maciem afferat, quippe quae saepenumero vel vigesies quinquies intra horas viginti quatuor repetatur. Neque autem borborygmus hanc diarrhoeam antecedit, quae infantibus plane insciis intervenit, et minoris momenti semper est. Quae evacuantur, aquea sunt, mucosa, flava, e flavo-fusca, aut denique viridia; qui mucus stragula squalore magnopere inquinat, eaque glutinis instar obducere solet; odor autem ejus acidus, acerrimus. Abdomen molle dolorisque omnino expers, potest autem sufflatum esse ac dolorificum, id quod haud scio an e majori minorive ventriculi aliarumque partium affectione pendeat. C. Nagel autem dolorem nullum, sed ardorem saepius multum, eumque in praecordiis, se invenisse contendit; qui ardor, si manu per longius tempus abdomen tangebat, paulatim minuebatur. Digestionem autem deteriorem esse, indicat satis superque etiam lingua obtecta et albida, aut ex albido flava; cujus margines et apex auctore Chr. F. L. Winter interdum rubri et sicci sunt; deinde ructus, singultus, borborygmus. Appetitus, uti jam diximus, morbi initio jam cedit, verum sitis quasi ardens torquet infantulos, quid, quod Nagel intra unum diem mensuras aquae duas et dimidiam bibisse infantem quendam, observavit, ac nihilominus plus flagitasse. Quodsi morbus per aliquod tempus adfuit, fere semper vomitus in medium prodit, qui peculiaris est. Neque enim aut nauseae, vomituritionis, masticationis, deglutitionis, vestigium ul-

lum cernitur, aut alia, quae in vomitu plerumque occurrunt, symptomata. Neque idem ab aegrotorum situ multum pendet, sed etiam, si supinus cubet aegrotus, multumque praecipue potaverit, facile ac singulis vicibus vomitum irruere, plurimi dicunt. Quae iu ventriculo sunt, aut una, aut duabus vicibus evacuantur, quin vomituritio, vel masticatio postea cerni possit. Vomitum, qui successerit alteri, quin potum aegrotus hauserit, unquam se observasse; Nagel diffitetur. Quid, quod is humor, qui evacuatur, semper supra mentum protrudi dicitur, id quod in hydrocephalo neutiquam occurrere solet. Quae autem evacuantur, sordida et flava sunt, aut e flavo viridia, ceterum mollia.

Post vomitum infantes animo hilariori esse solent, sed brevi post in illud, de quo sermo fuit, agrypnocoma recidunt. De urinae evacuatione admodum differunt auctores: C. enim Vogel adauctam ejus copiam esse dicit, colorem ejus nullum, odorem et ipsum nullum. Chr. Winter autem parcam eam et urentem se vidisse contendit, quum inter mingendum semper fleverint infantuli. Equidem fateor, urinae copiam non certo definire me posse, quum frequentibus etiam sedibus lectulus non possit non humectari; dolorem autem ab infantibus nullum significari, certo scio. — Respiratio in morbi decursu nunc celerior nunc tardior, neque unquam aut laboriosa, aut gemitu stipata, plerumque autem submissa et superficialis, spiritus subfrigidus. Neque desunt exempla, quibus tussim observare possis et siccam, abruptam, quam semel in medio morbo fere molestissimam fieri ac semper vomitum antecedere vidi. — Palpebrae et pedes postremo tumidi et oedematosi evadunt

atque post symptomatum fere omnium remissionem apparet facies illa hippocratica. Respiratione igitur et pulsu irregulari facto, mors supervenit aut quietis aegrotis, aut spasmo antea leviori detentis.

Diagnosis. Noli credere, ex his symptomatibus gastromalaciae diagnosin in vivis infantibus facile determinari. Si igitur Joh. Krieg (1) symptomata omnia fallacia esse censet, si Hesse (2) symptomatum dictorum nullum esse pathognomonicum judicat, non possumus, eheu! quin huic sententiae subscribamus. Utcunqne est, sunt morbi nonnulli, non multum gastromalaciae absimiles, qui comparationem diligentiorem et accuratiorem exigunt. Quae autem gastromalacia propria habet symptomata haecce sunt afferenda: Primum nervorum energia magis magisque, a primordio morbi usque ad finem minuta, quin irritatio cerebri magna antecesserit, deinde systematis nervosi peculiaris conditio ac simultanea consumtio, quae utrum sit potius temulentia an agrypnia, non possumus facile dignoscere. Cui statui fere semper supervenit diarrhoea illa propria, conjuncta cum summa macie et tussi. Porro vomitus ille singularis, qui non saepe desideratur, sitis quasi insatiabilis, inquies continua et gemitus ille unisonus. Denique haud scio, an cutis illa laxitas, quae a paralysi proxime abest, et in exemplis magis chronicis observari solet, huc pertineat.

Distinguenda autem est gastromalacia ab his morbis:

1) Annalen für die gesammte Heilkunde unter der Redaction der Grossherz. Badenschen Sanitätscommiss. II. Jahrgg. Hft. 1. 1825.

2) Altenburg. medic. Annalen 1812 Dcbr. S. 1649.

Primum a gastritide. Quae autem apud infantulos forsitan sub gastroenteritidis specie tantum occurrit, neque ab ea saepius abest inflammatio magna et abdominis dolor. Febris in gastritide multo vehementior. Vomitum, si majorem morbus assequutus est gradum, semper obstipatio comitatur, initio quidem excitatio summa, postea sopor.

Deinde ab helminthiasi. Sed gastromalaciae symptomata primaria illa vel in helminthiasis vehementissimo insultu desiderantur. Vomitus, qui in hoc morbo occurrit, semper indolem spasticam prae se fert atque diarrhoea et obstipatio promiscue apparent. Symptomata omnia et celerius mutantur et vehementiora in medium prodeunt.

Tum ab atrophia mesaraica. Verum hujus morbi lentus admodum decursus; quae in eo occurrit diarrhoea facile auferri potest, neque ita diuturna, neque ita saepius redux. Faeces luto similes, aut albidae, aut tanquam concisae, atque odoris acidi, neque autem aqueae, nec commixtae muco viridi, flavo, fusco, vel sordibus albis tincto, neque odoris acidi. Abdomen in atrophia continuo dolorificum. Semper aphthae in atrophia occurrunt, quamquam ciborum appetentia adaucta est. Inquies non ita magna, somnus altior et placidior. Vomitus cibos emittit eique vomituritio antecedit, in gastromalacia autem semper humores flavi ejiciuntur. Glandularum tumescentia et sudores in atrophia semper, in gastromalacia nunquam occurrunt.

Denique ab hydrocephalo. In hydrocephalo autem respiratio lenta aut brevis gemituque conjuncta, in gastromalacia facilis et cita. In illo spasmos observas et

capitis sudores et soporem continuum. Infantes caput in stragula defodientes semper vides, et mentis inopes et faciem manu fricare et vellere capillos et nares terebrare. Huc accedit artuum tremor, pupillae dilatatio, dysuria et clamoris stridor; quae quidem phaenomena in gastromalacia nunquam inveniuntur.

Cadaveris sectio: Qui gastromalacia perierunt infantium, macies magna, cutis ubique vigoris expers, tela cellulosa nulla, musculorum tenuitas, praecordia tumida quidem, sed mollia. Plerisque in exemplis cum cetera organa, tum thoracis capitisque cavitas non affecta, in aliis graviora morbi vestigia. Id tantum adnotandum est, si ventriculus ante sectionem perforatus sit, id quod in vivis infantibus haud scio an rarissime fiat, alia viscera emollitione, per eum qui e ventriculo fluxerit, humorem affecta esse posse. Quibus in casibus ventriculus collapsus atque in abdominis cavitate cernitur humor flavus, tenuis et paulo flocculentus. Cujus humoris et odor et sapor auctore C. Nagelio acerrimus est et chartam exploratoriam coeruleam, rubram reddit, cultrumque si admittis, maculis atris imbuit. Quodsi integer est ventriculns, ipsum et intestina tenuia, aëre multo expansa invenis, ventriculi autem tunicas pallidas et muco obductas. In loco autem affecto, qui plerumque in superiori curvaturae majoris parte, et quidem in vasorum brevium vicinia cernitur, ubi ventriculi saccus coecus lieni assidet, extenuatae sunt membranae atque tunica muscularis saepe deesse videtur, ut nihil nisi membrana mucosa et serosa supersit. Altera justo mollior, nunc subflava, nunc fusca paululum, nunc denique glutinosae materiae non dissimilis. Altera nonnunquam

justo crassior, atque sufflata, glutinis, instar. Plerisque in exemplis ventriculi saccus coecus aut cum liene, aut cum diaphragmate cohaeret; si quis eum disjungat ab illis, aut ab oesophago, divelli eum vides, atque humorem, quem jam descripsimus, defluere in cavum abdominis. In ejusmodi ventriculi parte nulla amplius membrana cognoscitur, sed earum loco materia e flavo fusca, sordida, mollis, muco vel glutini similis. Neque etiam ulcerationis vestigium licet videre in affecta illa parte. Etenim neutiquam a materiae defectu profecta est, verum potius a simplici separatione. Apertura ventriculi hinc orta oblonga, thaleri aut aliquantulo majorem habet ambitum. Fuerunt etiam cadavera, in quibus aperturae ejusmodi quatuor vel quinque parvae inventae sunt, conjunctae substantiae semimollis ponticulis. Margines autem aperturae talis perquam molles, pulti, quin etiam villis, similes. Videtur horum marginum emollitio ad aperturam processisse, quamobrem, quo magis ad marginis finem accesseris, eo tenuiores partes invenies, quo magis ab iis discesseris, minus tenues membranas videbis et muco glutinive similes. Affectae illae partes saepe nonnisi tunicae mucosae videntur, tanquam alkalibus causticis tactae sint. Neque in affecta parte, neque in partibus ei proximis vestigium inflammationis ullum cernitur. Non ita saepe is locus, ut Huntero et Cruveilhiero, venis varicosis e coeruleo-rubris, aut, quemadmodum Jaegero, Gairdnero, Zellero et aliis, margine rubro cinctus apparuit. Ejusmodi materiae non plane aqua solvuntur eamque parum tingunt, sed potius turbant et flocculorum instar in ea fluctuant. Emollitio autem non in omnibus exemplis omnes ven-

triculi tunicas adgreditur, neque semper ita magna est. Quid, quod saepenumero nonnisi in tunica mucosa sola eam vides. Andral junior et Ramisch igitur tres emollitionis gradus distinguendos putarunt: in primo, eoque leviori gradu ventriculi tunicae, quod ad structuram attinet, integrae sunt, sed molliores tantummodo et laxiores, divulsu aut tritu faciles, nec amplius partim removeri possunt. Quo in casu plus minusve per totum ventriculum morbus extensus est. Altero in gradu alicubi pro ventriculi tunica mucosa nihil nisi materiam quandam albidam, cineream aut rubicundam cernis, quae mucum imitatur, quasi hic depositum; quae materia facile digitis potest perfringi et aqua ablui. Ventriculi formam tantummodo peritonaeum constituit, quod vel minima vi divelli potest.

Tertio denique in gradu tam molles membranae inveniuntur, atque mutatio in parte affecta membranarum eo usque provecta est, ut jam diffluere videantur; peritonaeum autem ita affectum simul apparet, ut variae magnitudinis foramina in ventriculo cernantur. Plerumque fit, ut ventriculi emollitio ab interno ventriculi pariete, id quod jam diximus, proficiscatur. Cruveilhier et Rhades nonnunquam a peritonaeo, Ramisch bis a tunica musculari introrsum abeuntem observarunt. Quid, quod Cruveilhier saepenumero pustulas fere genuinas in tunica mucosa, easque parti emollitae proximas, se vidisse contendit. Etiam J. Nordt gastromalaciam pro morbo aphtharum simili habendam putavit (1). Gairdner sermonem facit de maculis al-

1) Lond. med. and phys. Journ. Vol. 1. II. Octbr.

bis ellipticis, quae in tracto intestinorum occurrant, quasque parvis et imperfectis variolis, iisque in primo stadio, similes esse dicit. Mentione dignum et etiam necessarium videtur, ut ad aliarum partium statum animum paulisper advertamus. Intestina tenuia nihil saepe anomale ostendunt et fere vacua sunt, sed aëre inflata. Tunica eorum mucosa mirum in modum albida, conferta non nisi humoribus mucosis et acidis, et in ea ipsa partes singulae emollitae cernuntur. Jaeger in intestinis crassis et in singularibus intestinorum tenuium partibus emollitionem vidit; Burns tractum intestinorum totum emollitione affectum. Laisné, Rhades et Jaeger oesophagi singulas partes emollitas observarunt. Glandulae mesaraicae interdum paulo majores, neque vero durae, aut alias alienatae. Exstiterunt casus, in quibus omenti, mesenterii, hepatis, pancreatis, denique pulmonis singulares partes emollitae inventae sint. Multo autem saepius lienis et diaphragmatis emollitio observata est. Nec desunt, quorum lien sanus plane exstiterit aut hypertrophicus, aut sanguine plenus, aut denique pallidus. Vesica fellea tenuis et viridis graminique similis, aut crassae et flavae bilis plena. Pleuram invenis tuberculis obsitam, in pulmonibus autem saepius puris particulas. Cor haud raro molle admodum inventum est. Nec desunt, in quibus haud dubia irritationis cerebri vestigia detecta sint. Dura mater saepissime adnata apparet ossibus cranii, tanquam violaceis, atque sanguiferis vasculis, quemadmodum etiam pia mater, valde conferta; cerebri vasa sanguinis plena, nec deest ventriculis basique cranii lymphae sat magna copia; alii justo mollius, durius alii invenerunt cerebrum.

Aetiologia. Inter plerosque constat, summam esse ad hunc morbum infantibus proclivitatem, atque haud scio, an haec proclivitas tum in naturali membranarum ventriculi mollitie, tum in parca quadam tunicae muscularis evolutione, tum in digestione diminuta posita sit. Quae proclivitas inde a mense quarto, quinto, usque ad decimum octavum adaucta esse videtur. Perperam Meisner ante hoc tempus in medium prodire eum morbum negat, quum plures auctores, ut Vogel, Gairdner, Treviranus, gastromalaciam saepe octo vel quatuordecim infantulos petiisse dicant. Quin etiam anno secundo infantium elapso interdum occurrit, id quod non saepius evenit. Infantes autem, qui matris aut nutricis lacte aluntur, rarius in eum morbum incidunt, quam qui alio modo nutriti sunt, ita ut horum pars quarta hoc morbo corripiatur, illorum nonnisi pars decima sexta in eum incidere soleat. Pueruli ad morbum opportuniores puellis esse videntur. Proclivitatem autem ad eum morbum inesse infantibus, ex his imprimis C. Nagel colligendum putat: Infantes editi a matribus proceris, macilentis, flavicomis, structura corporis tenui sunt, musculorum adest laxitas, cutis vigor nullus, capitis exilitas, occipitis prominentia, colli longitudo, capillorum minor copia, oculorum acies et gravitas quaedam, faciei pallor, irridis color aut coeruleus isque clarior, aut cinereus; ciliorum longitudo. Aurium magnitudo earumque, si luci admoves eas, ut videtur, calor coeruleus. Tunicae Schneiderianae atque oris mucosae pallor. Calor corporis omnino non magnus. Secretionis et excretionis diminutio aliqua, somnus exiguus. — Si modicus sudor isque circumscripto saepius loco eru-

pit, ut in capite, melior infantium conditio; sin minus, somnus neque multus, neque quietus. Si discedas a nutricis lacte, lac aromatis expers omnino repudiant. Cum autem excitantis et calidi potus, tum praecipue vini rubri continuum desiderium, quorum fluidorum magnam copiam sumere cupiunt. Systematis sanguiferi minor irritabilitas exstat. Intestina imprimis affectionem nuntiare videntur. Verumtamen ante morbi conformationem non facile vomitus in medium prodire solet. Infantes, ut ita dicam, pastosi iique imprimis, qui non ambigua in corpore scrophularum vestigia gerunt, saepius in huncce morbum incidunt. Neque parva infantibus imbecillibus et praemature editis insidere solet proclivitas. Possunt autem esse multae aliae res, quae hunc morbum provocant, in quibus lactis aliquod vitium. Quod vitium situm est nonnunquam aut in matris vita, moeroris plena et miseriis, id quod iram parit et invidiam et alias animi affectiones, aut in minori ciborum sumendorum portione, aut denique in matris aliquo morbo, imprimis si in puerperio morbum quendam perpessa est. Neque autem a matris aut nutricis lacte tantum pendet morbi conformatio, verum etiam lactis maturior detractio et nutrimenta rudiora digestuque difficilia, pultes nimis crassae, ventriculi nimia opplectio, ciborum nimia frequentia, denique ciborum nimius calor aut acrimonia accusari debent. Neque minus hisce causis adnumerandus est purgantium et vomituriorum medicaminum abusus et mala infantium cura, utpote qui in stragulis humidis jaceant, aut frigescant, quia tempestate inimica circumferuntur. Quid, quod Cruveilhier gastromalaciae epidemicae, quae mense

Aug. et Septembr. occurrat, mentionem facit. Omnino male nutriti maleque culti infantes facile in hunc morbum incidunt, unde perspicuum est, cur fieri potuerit, ut Ramisch in cadaverum quadraginta novem sectione, quae erant infantium parentibus orbatorum, gastromalaciae vestigia se invenisse dicat. Sunt inter medicos, qui continuum dentium irritamentum, imprimis nimis maturam dentitionem, pro causa occasionali habuerint. C. Nagel autem firmam funiculi umbilicalis constrictionem ac gestationem infantium nimis maturam non involutorum accusat, quo fiat, ut ventriculus, imprimis impletus, non modo famulae manu, sed etiam infantis ipsius thorace, quem erigere nequeat, comprimatur et a motu peristaltico arceatur. Etiam post varii generis morbos, febrem intermittentem, helminthiasin, auctore Cruveilhier, icterum, erysipelas, indurationem telae cellulosae, denique aphthas, gastromalacia exorta est, imprimis si aëris conditio morbis gastricis magnopere favebat. Cruveilhier autem saepius a rheumatismo proficisci morbum dicit. Camerer, Autenrieth et Zeller periculum imminere non parvum censent, ubi morbilli et miliaria, quominus erumpant, prohibeantur. Denique affectiones cerebri ad morbum hunc procreandum possunt aliquid conferre, id quod imprimis de hydrocephalo dicendum est (1). Pitschaft maturam mentis et nimiam evolutionem causam esse putat, propterea quod cerebrum inter et ventriculum summa intercedat sympathia.

Natura gastromalaciae: De gastromalaciae natura

(1) Cf. Puchelt System der Mediz. Th. II. Bd. II. §. 629.

admodum discrepant auctores, neque usque ad hodiernum diem ulla de hac re sententia pro vera haberi potest. Quidquid autem sit, adeo peculiaris est ille morbus, ut, quod Wendt fecit, ex inflammationis casu aliquo eum exoriri, judicare nequeamus, nihilque est, quod nos impellat, ut cum Rudolphi et Goedecke eum ad putredinem referendum putemus. Plurium quidem medicorum ex sententia gastromalacia post mortem demum exoritur. Gairdner tunicam mucosam solvi putavit in humore ventriculi. Quam materiem ut accuratius explorarent, experimenta instituerunt in animalibus: Spallanzani, Adams, Treviranus, Astley Cooper, Cammerer et Wilson Philip; quorum ultimus in cuniculis, quos, postquam cibos sumserunt, statim interfecit atque humi jacere passus est, ventriculi curvaturam majorem magnopere solutam, immo etiam perforatam, vidit. Similiter Andral apud murarium, post coenam mortuum, ventriculi et tunicam mucosam et muscularem, pluribus in locis emollitam invenit et destructam, quamquam, sicut Louis, in multis aliis subito mortuis simile nihil se vidisse contendit. Etiam Froriep (1) apponit exemplum notatu dignissimum, idque huc ferendum, quod primus quidem Haviland Cambridgianus narrat. Qui vir in sectione cujusdam antea sani, ventriculi tunicam mucosam totam invenit rubram vasculisque confertam, hic autem illic maculas, tanquam sanguine ortas effuso; quae maculae ablui non poterant. Duobus autem in locis ventriculus perforatus erat, in aliis perquam exte-

(1) Notizen Bd. III. S. 79.

nuatus; diaphragma et ipsum sine ullo suppurationis vestigio perforatum. Hinc factum est, ut nonnulli a ventriculi vi insita solventi hanc emollitionem pendere dicant; quae autem sententia minus probatur, propter eam observationem, quam C. Nagel fecit. Cui viro curandus traditus fuit infans gastromalacia laborans, cui post mortem tantum frigus supervenit, ut humor ipse, qui in ventriculo esset, congelasceret. In cadaveris sectione affecta pars, eaque in sacco coeco, lurida inventa est maximeque tenuis, quae autem in eo sedebat glacies, e flavo-fusca. Hoc in casu emollitionem non post mortem succo gastrico provocatam esse, quis est, quin videat! — Succus autem gastricus abnormis, qui ex infantibus, qui gastromalacia perierunt, desumitur atque animalibus traditur, apud sana atque viva animalia ne minimum quidem efficit, in mortuis autem eandem fere emollitionem glutinique similem constituit, qualis in gastromalacia occurrit; quod idem Burns tradit, qui de experimento sermonem facit in mortui hominis hepate instituto. —

Fleischmann autem gastromalaciam consistere in lienis sanguine depravato vasorumque brevium ope constitui, censet. Quae quidem sententia, quam falsa sit, ex eo videre licet, quod lienis emollitio cum gastromalacia non nisi rarius conjuncta est. — Experimenta autem Camereri, quibus artificio quodam emollitionem produxit, nimis digna narrata sunt, quam quae praetermittere possimus. Qui vir si cuniculos mortuos aut interfectos per horas quadraginta octo sinebat jacere, in illis fundum ventriculi plane solutum invenit, in his autem nullum emollitionis vestigium; neque in his succus gastricus acidus erat; quid, quod in ovis mortuae ven-

triculo et intestinis tenuibus plane alkalinus erat. Quae mutatio eo major erat, quo diutius animalia illa interfecta jacere sinebat. —

At cur tandem apud infantium ventriculi morbos emollitio occurrat, haud scio, an hoc experimentum possit aliquantulum illustrare. Particula fundo ventriculi sani ademta in vaporibus aqueis, iisque scalae R. gradum circiter vicesimum habentibus, per horas duodecim in acido muriatico diluto collocata est; exinde contracta est illa particula, quasi fragilis evasit, ut ne tangi quidem posset, quin divelleretur. Sin particulam ejusmodi in acido acetico diluto ponas, tam spongiosa, ut ita dicam, evadit glutinique similis, ut diffluat sub digitis, atque primum gastromalaciae gradum oculis afferat. Atque apud infantes succus gastricus abnormis imprimis acidum aceticum continere solet, apud aetate provectos homines acidum muriaticum praevalet.

Cruveilhier autem substitisse opinatur canalem ciborum in pristino conformationis gradu, in quo telae fere omnes glutini sint similes. Richter et Heusinger gastromalaciam e reditu quodam ad pristinam illam ventriculi fabricam atque ex resorptionis incremento proficisci putant. Hopfengaertner autem gastromalaciae naturam consistere opinatur in vitalitatis ventriculi locali abolitione, quae sine ulla finitimarum partium adaucta energia occurrat, ubi primis morbi vestigiis forsitan tanquam chemico aliquo remedio proximae partes afficiantur. Laisné (1) sententiam pro-

---

(1) Diss. considérations, medico-legales sur les erosions et perforations spontanées de l'estomac. Paris 1819.

fitetur, ventriculi emollitionem et perforationem veneno aliquo organico sisti, quippe quae cum illa ventriculi affectione, quae chemico aliquo veneno, ut kali caustico provocetur, summam similitudinem habeant. Qua de re Becker (1) (cf. Lallemand) id argumentari studet, emollitionem nihil aliud esse, nisi inflammationem, quae in cruditatis stadio ineunte morte detenta sit. Burdach autem non tam in conformationis inertia, quam in irritatione consistere gastromalaciam censet, sive fiat inflammatio, sive diathesis inflammatoria remaneat.

X. Roux omni ventriculi perforatione antecedere inflammationem, necesse esse putat. Si autem minorem gradum morbus assequutus sit, dissolvi tunicam mucosam, ut glutini similis evadat, sin majorem, eumque imprimis apud natu majores homines, ulceratione aperturam istam conformari (2). Billard et ipse inflammationem antecedere debere dicit. Wintero gastromalaciae natura in venarum et vasorum capillarium morbo posita esse videtur, qui morbus, si emollitio et destructio initium ceperit, tunicae mucosae inflammationis formam induat. Quam inflammationem a congestione pendere indeque exorta reactione organica, dicit. Etiam Wendt, Henke, Louis, Mass, Wiesmann, G. A. Richter, Rostan, Nagel, naturam gastromalaciae in inflammatione consistere censent. Nagel et ipse ex inflammatione, et quidem alicujus tunicae mucosae partis, eam prodire dicit. Quum autem nihil nisi tunicam

---

(1) Hufeland Journ. der pract. Heilkunde. 1827. März.

(2) Quelques considérations sur les perforations spontanées de l'estomac.

mucosam petat inflammatio, gastritidis verae symptomata desiderantur illius, qua et tunica muscularis et serosa affectae sunt. Quodsi morbus aut non gravis est aut medicamenta adhibentur, inflammatio exstinguitur; sin minus, et ipsa vasa et nervi simul afficiuntur. Quae autem pars affecta est, non amplius potest praeesse provinciae suae. Ingesta igitur sanarum partium ope affectis illis admoventur. Vomitus dicitur proficisci ex sanarum partium sola vi, cui partes affectae non possint resistere. Quo autem in affectas partes impetu facto, et partes nexu suo destituuntur, et inflammatio progreditur. Quodsi natura explere partium deletarum defectum studeret, motu ventriculi continuo prohiberetur. Secretiones exinde plane abnormes fiunt et quaecunque affuit organica structura, paulatim aufertur, exoritur paralysis et illa emollitio. Cujus emollitionis si rapidus decursus, acuta gastromalacia, sin tardior, gastromalacia chronica vocatur. Superiori illi sententiae objiciendum est, inflammationem non supponi posse, nisi inveniantur signa ejus anatomica.

Quae signa in omni certe leviore gastromalacia desunt. Sin autem inflammatio haud dubia exstitit, partium destructio non simplex, sed mixta debet esse. Verum gastritis talis et tanta nonne apud infantes, in quibus omnis telarum inflammatio tam celeriter diffunditur, ventriculo toti veram inflammationis speciem impertiret? Vogel (1) autem veram gastromalaciam, ait, summopere

(1) Handbuch der prakt. Arzneiwissensch. zum Gebrauch für prakt. Aerzte. Bd. 6. Stendal 1816. S. 255.

differre ab illa abnormi tenuitate, mollitie et perforatione, quae inflammatione, ulceratione, divulsione, gangraena provocata sit. Jaeger eandem sententiam amplexus est; invenit enim ventriculi cum anteriorem et posteriorem superficiem, tum eam partem, cui lien adsidet, aut e viridi cineream, aut luridam. Experimentis ille chemicis id exploravit, humorem qui ventriculo insideret, similitudinem habere cum acido acetico, ejusque ex sententia huic ventriculi statui semper antecedit morbus, qui e systemate nervoso natus, canalis cibarii secretionem et in contenta sua reactionem mutet; quae mutatio pariat nimiam acidi acetici copiam, qua membranarum illa solutio afferatur. Multi iique optimi medici similia de hac re sentiunt. E diminuta enim nervorum in ventriculum potestate gastromalaciam proficisci putant. Barkhausen in hydrocephalo mortuis ventriculi erosiones, sicut intestinorum atque glandularum mutationem, et tunicae mucosae, non semel vidit. Romberg naturam gastromalaciae eandem esse putat, quam uteri putrescentiae; infantes autem tam saepe in hunc morbum incidere propterea, quod ratio succi gastrici et salivae, quae ob sugendum copiosa in aliis secernatur, apud infantes arte nutritos normalis esse nequeat. Quam ob rem etiam atque etiam hortatur, ut hujusmodi infantes optimi instrumenti auxilio nutriantur. Puchelt (1) cum gangraena similitudinem gastromalaciae esse commonstrat, quamquam desit et odor gangraenae malus et tumor simultaneus. Equidem haud scio, an huic morbo nunc inflammatio nunc nervorum

(1) System der Mediz. Thl. 2. Bd. 2. §. 625.

inertia, nunc materiae alicujus vis noxia subsit. Sundelin (1) suspicatur abnormem et biochemicam nervi vagi potestatem, atque hanc nervorum affectionem in decursu magis acuto inflammationis speciem prae se ferre posse; sed plerumque e metastasi prodire eam arbitratur, quam prohibita exanthematis alicujus eruptio, aut metastasis rheumatica, aut dyscrasia, aut cachexia protulerit. — Defendit hanc sententiam miliaris-exanthematis peculiare quoddam, nervum vagum afficiendi, studium; exanthema illud, quod Cruveilhier observavit in ventriculi mucosa tunica, variolis simillimum; denique illa, quae est in cachexia et dyscrasia, vis in singulorum nervorum fabrica et crasi commutanda. — Morbum nostrum e primaria cerebri affectione initium capere, ostendit subitanea et inexpectata ejus eruptio, eoque apud infantes, in quibus optima videtur valetudo esse et firmitas; proclivitas ad eum morbum magna in iis infantibus, quorum mens maturius exculta est; animus ejusmodi infantium valde morosus, summaque in iis irritabilitas, admodum rapidum virium decrementum; gastromalaciae denique ad atrophiam cerebri, ad hydrocephalum cerebra accessio. Camerer in sectionibus eam partem unde vagus oritur, et pontem et medullam oblongatam justo solidiorem invenit, atque fieri dicit, ut nervorum paralysis exoriatur in ventriculo, qui succi gastrici vi non amplius possit resistere. Quare etiam pulmonum simultaneam affectionem provocari dicit. —

Most gastromalaciam morbum esse putat infantibus proprium et peculiarem, qui etiam sine gastrobrosi

---

(1) Horns Archiv 1830, Heft 4.

propter cachexiam universalem, chlorosis instar, mortem afferre possit, quique non inflammatione, verum imperfecta assimilatione, chymificatione et sanguificatione nitatur, quae nervorum, imprimis vagi et sympathici, inertiam accusent, qua assimilationis provinciam minus bene administrare possint. Ille vir etiam cum in statu pituitoso, tum in blennorrhoea chronica intestinorum haud raro occurrere dicit muci acerrimi et fere caustici secessum; vim porro epidemicam, quae in gastromalacia non sit praetermittenda, febribus pituitosis putridarum speciem impertire, id quod experientia nobis persuadeat. Quemadmodum porro helminthiasis et atrophia febribus pituitosis maxime favent, quae febres, si praecipue lentus eorum decursus est; similitudinem magnam cum gastromalacia offerunt, ita infantes, qui e vermibus et atrophia laborant, ad gastromalaciam admodum proclives sunt. Denique non possum, quin Naumanni de hac re sententiam proferam. Is nervorum affectionem quae sit in gastromalacia, fere talem esse demonstrat. Si, inquit nervorum imperium in ventriculum diminuitur, etiam medullae nervorum vis in vasa capillaria ventriculi minuitur. Quae imminutio nisi ab inflammatione proficiscatur, id efficit, ut sanguis, quin localis irritatio adsit, vim suam vitalem pedetentim amittat, neque materias via organica praeparatas, ad nutriendum corpus possit offerre. Quum igitur materiae organicae depositio optima, vel quae ad partes conformandas ejus facultas est, ab optima medullae nerveae admixtione pendeat; non potest non materiae organicae dissolutio fieri.

Id quod eo magis potest fieri, quum etiam venosi sanguinis refluxus eandem ob causam difficilis evadat. Caret exinde sanguis pristina sua virtute, humorque evadit magis serosus atque per vasorum capillarium parietes in partes vicinas penetrat. Non amplius igitur extant vasa capillaria in partibus affectis.

Prognosis. Gastromalaciae prognosis admodum infausta est, quod si enim majorem gradum assequutus est morbus, plerumque medici auxilium omnino irritum est. Nihilominus morbi nostri acuta forma, dummodo accuratius cognoscatur atque curetur, spem restituendae salutis aliquam relinquit, majorem certe quam chronica, quae semper lethalis est. Verum eheu! plerumque morbus sine ullis prodromis in medium prodit ejusque decursus tam rapidus tamque varii generis est, ut nullum signum pathognomonicum afferri possit. Quodsi ineuntis morbi diagnosis certa esset curatioque bona instituta, salutem aegrotorum redintegratu non difficilem fore, Hesse putat, quum ventriculus partibus vicinis postea plane adhaereret, imprimis lieni, quumque partes emollitae in posterum removerentur. Quare in eo elaborandum est medico, ut nihil nisi prophylaxin administret atque haud scio, an incipientem morbum possit expugnare. Tantummodo si sudores per totum corpus iique calidi apparent, si vomitus cedit, si agrypnia illa soporosa minuitur, si denique et ipsa diarrhoea ejectis tunicae mucosae glutini analogiis partibus, diminuitur, de salute aegrotorum spes aliqua superest. Morbum autem nostrum propter remissiones admodum fallacem esse perquam lugemus, etenim postea vehementius in aegrotos irrumpit.

Therapia. Quod attinet ad indicationes, primum ea impedimenta sunt depellenda, quae integrum nervorum cerebralium in affectas partes imperium turbant. Quae autem impedimenta triplicis generis esse possunt. Primum quidem inflammatoria in cerebro irritatio potest adesse, quam, si adsit, primum curandam esse, perspicuum est. Deinde vehemens initio maximeque inflammatoria ventriculi ipsius irritatio; hoc autem loco nihil antiquius habemus, quam ut hanc inflammationem inferamus. Denique cerebri nervorumque omnium anergia, paralysique proxima, ac paulatim oriunda debellanda est. Igitur excitans methodus et roborans flagitatur. Altera autem indicatio haec est: ut dissolutioni, quae est in ventriculo et intestinis, et emollitioni occurramus, quare elucet tonica remedia aliquantulum auxilii polliceri. Tertia denique indicatio ea est, ut, cum sanguinis conditionem vix possimus meliorem reddere, tamen excitantibus illis sanguinique noxiis partibus per acida mineralia, quam maxime obnitamur. In primis morbi prodromis etiam atque etiam Cruveilhier hortatur ut, infantibus nutrix bona detur, id quod de iis potissimum infantibus, qui arte aliqua nutrirentur, adnotandum esse putavit. Winter autem, ne id fiat, diserte monet, quum alia lactis conditio periculum summum afferat, id arbitrans, dum cibi e lacte parati omnino concedi possint, lactis vaccini partem unam cum aquae partibus duabus sumendam esse. Quodsi autem infanti lac subducendum est, equidem puto, non nimis mature hoc faciendum esse. Cruveilhier ne id vel maturius vel serius fiat, post annum primum aetatis lac infantibus detrahendum suadet, sin prius aptissimos eligendos esse infanti-

bus cibos, et certo tempore porrigendos, idem magnis intervallis, haud vero minimum singulis vicibus sumendum censet cibosque omnino parvos esse debere contendit. Winter male intellexit ejus praecepta. Etenim credit, id praecepisse Cruveilhierum, ut esuriant infantes et sitiant. Haud dubie hac via gastromalaciam optime curamus, ut caveamus, ne ventriculus extensus sit, et oppletus, neque laboret pars affecta continuo contentorum impetu, qui propter motum peristalticum fieri debet. Billard imperat, ut infantes clysmatis ex oryza vel polenta nutriantur. Winter aquam selteranam iis infantibus, qui alterum annum jam assequuti sint, praescribendum esse censet. In omnibus gastromalaciae stadiis hanc idoneam esse putat, qui et vomitum possit temperare, et secretiones omnes adaugere. Naumann autem lac cum cinnammoni aliquantulo et jusculum tenue e carne gallinacea adhibenda praescribit. Qui potus nonnisi subcalidi offerri infantibus debent. Neque perperam Cruveilhier balnea calida adhibenda suadet, propter summam tunicae mucosae intestinorum et cutis sympathiam; quorum calòr paulatim adaugeatur, donec sudòr subsequatur; initio ille decoctum plantae alicujus mucilaginosae adhibet, postea autem aromaticas plantas, immo etiam decoctum chinae et absinthii. Possunt autem haec balnea bis vel ter per diem repeti; quae si non sint adhibenda, eorum loco frictiones administrandas esse Winter suadet, donec corporis rubor oriatur. Quod attinet ad reliqua, quae commendata sunt hoc in morbo remedia, haud mirum, quod tam varii generis sint. Ex his autem, quod mihi notum est, maxime utilia sunt, quae sequuntur:

Primum venaesectiones et vesicatoria, quae ab omnibus iis adhibitae sunt, qui ex inflammatione gastromalaciam proficisci putant. Most in gastromalacia acuta sanguinem capite detrahendum esse putabat; quid, quod Zeller apud infantes aetate magis provectos venaesectionem curationi praemittit, qua instituta vel hirudinibus applicatis, calomelas praescribit, cum magnesia et emulsionibus. Similem sententiam Rostan, Lallemand, Nagel, Winter fovent. Hicce autem calomelanis usum non probat, quippe quod dissolutionem ventriculi adaugeat; atque equidem haud scio, an quis calomelanos usum dum perspicua ventriculi irritatio extet, defendere possit. Sanguinis evacuationes neutiquam nimiae sunt instituendae, melior hirudinum ad caput forsitan erit applicatio. Quae etiam repetendae sunt nonnunquam, nec unquam progresso admodum morbo negligendae. Neque desunt, qui acida mineralia commendent, Nasse acidum nitricum laudavit, idque Wiesmann haud frustra adhibuisse dicit. Meyer acidum muriaticum proposuit. Rhades oxymuriaticum, quod remedium Winter quoque ineunte morbo utilissimum esse putat. Blasius aegroti vitam hoc medicamento se servasse putat. Aquam oxymuriaticam Hergt laudat. Most balneum aromaticum semel adhibuit, decoctum althaeae praescripsit et aquam oxymuriaticam, atque lactis materni minorem copiam eamque saepius sumendam, et totum abdomen ugto volatili terebinthin. perfricari jussit; denique tincturam ferri muriatic. adhibuit, nec frustra.

Acidum pyrolignosum saepissime datum esse, nemo ignorat. Pitschaft illud acidum sex mensium

infantulo, apud quem morbus ad summum gradum evectus erat, hoc modo praebuit:

℞ aquae flor. naphae ℥II
acid. pyrolignos. ʒI
Syrup. emulsiv. ℥I
M. DS. Singulis horis cochlear minus.

Pro potu autem quotidiano commendavit mucilaginem ex hordeo cum saccharo, et aquam saccharatam et infusum foeniculi. Teuffel (1) acid. pyrolignos., ubi non acidi, sed alkali plus ventriculo insit, adhibendum esse; sin jam adsit emollitio, non multum ex eo sperari posse, putavit. In superioribus casibus haud frustra illud tentavit. Ceterum ille summam cautelam hujus remedii usui impendi jubet, quippe quod, spasmis vehementibus ortis, paralysi nervorum subitanea mortem afferre posset, id quod secundum peculiarem morbi naturam magnopere pertimescendum sit.

Etiam Opium hoc in morbo multi laudarunt. Cruveilhier optimum remedium esse putat, nec non X. Roux, qui nullo alio medicamento, nisi opio et gummatis et balneis subcalidis, aliquid effici negat. Ramisch quidem incassum se tentasse dicit. Nagel et Urban, qui per singulas horas partem grani quadragesimam octavam praebent, perquam salutare remedium putant. Si C. Vogel fidem habemus, opium in gastromalacia plane necessarium est; nam praebendum esse dicit ante febris accessum, et per diem laudani liquidi vix guttas duas dedit. — Frictionibus autem et balneis et tegmentis calidis, vinique rubri cauto usu, opii effectum adau-

1) Horns Archiv f. pract. Mediz. 1824 Hft. V.

gendum censet. Minus aptus videtur is opii usus, qui a Gairdnero praecipitur, qui semel vel bis per diem Trae opii guttas tres vel quatuor per intestinum rectum immittit. Sin partes in ano laesae occurrant, haud frustra ille zinci oxydati ejusque optime triti ugt. sese adhibuisse, gloriatur.

C. F. a Pommer ferrum muriaticum oxydat., cujus efficacia, quam in diarrhoea typhosa dicta ostendit, magnopere inclaruit, remedium summum appellat. Praebuit remedium hoc modo:

℞. Decoct. rad. Althaeae ℥ji
Gummi mimos. ʒji
ferri muriatic. oxyd. ℈ß
Syrup. Alth. ʒvi

M.D.S. Bene agitando singulis horis cochlear minus detur.

Hergt anni unius infanti, qui videbatur laborare ex gastromalacia, idem haud frustra praebuit. — Camerer simul cum hoc remedio alia medicamenta obtulit, quae adstringentibus tonicis adnumeranda sunt. Laudavit enim radicem Columbo, Simarubae; Extr. Ratanh., pomorumque Aurant. immaturor. — Droste contendit, non simul salutem aegrotorum restitutam esse Tinctura ferr. muriatic. cum Extra. chin. frigid. parata. — Jaeger kali carbonicum multis laudibus effert:

℞. Trae rhei aquos. ℥i
liquor. kal. carbonic. ʒi — ji
Extr. cortic. Aurantior. ℥ß
Aquae foenicul. ℥v
Syrup. Diacod. ℥i.

Rheum autem cur non saepius in chronica gastromalacia certe administretur sane non video. Atta-

men sunt, qui in chronica gastromalacia illud praescripserint; uti Winter. — Nonne etiam Mochus in hoc morbo magni momenti erit et dignitatis? Qui, si revera eundem in nervinis volatilibus remediis locum tenet, qualem in excitantibus camphora; haud scio, numme in summa hac nervorum asthenia optimum, opii adjumentum suppeditet. Si quis autem eum praebere velit, majorem ejus dosin, eamque rarius repetitam, porrigat, oportet. — Frictiones ex ugtis volatilibus adhibendae, cataplasmata spirituosa et aromatica. (Nagel emollientia et sedantia anteponit: Spec. ad. cataplasm. cum conii maculat. herba et hyoscyami), fomentationes totius abdominis ex infuso flor. Chamomillae vinoque rubro applicandae, curationem internam optime possunt adjuvare. Si convalescunt aegroti, C. Vogel initio Chinam, postea glandium querc. decoct., aut decoct. Salep cum vino rubro, aut jusculum e carne cum gran. Sago haurienda praecipit. Cibi autem aquei et lactei modo, si firmior facta est valetudo, concedendi sunt aegrotis. Aër bonae indolis ad corroborandam valetudinem potest aliquantum conferre. Most Tram nervinam Bestucheff cum vino rubro summopere laudat.

Prophylaxis. Restat, ut, quum jam multa de prophylaxi verba antea fecerimus, pauca addamus. — Refrigeratio infantium summopere vitanda est. Quamobrem cavendum est, ne quis infantes modo editos et nudos non nisi per dimidiam corporis partem aqua circumfundi patiatur. Hortetur medicus matrem, ut ipsa infantem, si possit fieri, nutriat. Neque parum interest, utrum infans matris, an nutricis lacte alatur. Rationem enim habeas, quae cuique est, sanguinis naturae.

Lac igitur nutricis infantibus aliquanto infestum est, quippe quod neutiquam talem sanguinem possit gignere, qualis antea in matris utero gignebatur. Verum est illud Winteri, qui lac, quod mater summa cum caritate et amore infanti praebet, multo praestantius esse dicit, quam illud, quod a nutrice proficiscatur, quae vario animi motu possit agitari. Deinde id spectandum est, ut summa semper mundities in infantes conferatur, summaque cutis integritas. Tum etiam rationem habeas cutis desquamationis, quae intra diem octavum vel decimum intrare solet. Obstructio semper tollenda est; si occurrit, Tra rhei aquos., vel extr. rhei cum magnesia carbon. in aqua destill., infantibus praebenda sunt. Nec minus ad dentitionem animus advertendus, neque, ut inter eam vaccinatio fiat, concedendum est. Qua de re cf. Gairdner et Cruveilhier.

Opera, quae ad elaborandam dissertationem consului, haec sunt:

Jaeger. Ueber die Erweichung des Magengrundes: Hufeland Journ. 1811. St. 5. S. 7. 1813. St. 1, S. 15.

Cruveilhier. Ueber die gallertartige Magengrundserweichung, a. dem Französ. v. C. Vogel. Liegn. 1823.

Zeller. Dissertatio de natura morbi ventriculum infantium perforantis. Tübing. 1818.

Richter. Ueber die aus inner. Ursachen entstehende Durchlöcherung des Magens: Horns Archiv 1824. Hft. 5. S. 212.

Ramisch. De gastromalacia et gastropathia infantum. Prag 1824.

Joh. Gairdner. Uebersetzt in der Sammlg. auserlesener Abhandlung. Bd. XXXII. S. 474.

C. Vogel. Beiträge zur praktisch. Mediz. Bd. XXVI.

Chr. F. L. Winter. Ueber das Wesen der Gastromalacie. Rusts Magaz. Bd. XXXIII. H. 2. S. 232—328.

Chr. A. Louis. Anatomisch-patholog. Untersuchungen übers. v. Bünger. Berlin 1827. S. 1—106.

C. Nagel. Ueber die gallertartige Magenerweichung. Analekten über Kinderkrankheit. 1 Bd. Hft. 4.

M. E. A. Naumann. Handbuch der mediz. Klinik 4. Bd. Abth. 1. S. 571-614.

G. F. Most. Beobachtung. u. Erfahrung. aus der Praxis. Beiträge zu Gastromalacie. Beiträge meklenburg. Aerzte Bd. 1. H. 2. S. 30.

Fr. L. Meissner. Kinderkrankheiten Leipzig 1838.

VITA.

Natus sum ego Fridericus Guilelmus Bingen Waldae die XV. Julii a. MDCCCXVI., patre Joanne Guilelmo, matre Joanna e gente Reffeltrath, quos jam diu defunctos lugeo. Confessioni evangelicae addictus sum. Primis litterarum elementis imbutus, gymnasium, quod Essendiae rectore Savels floret, per tres annos et dimidium frequentavi, deinde Gymnasium Duesseldorpiense et Coloniense, cui Grashoff director praeest, utrumque per annum frequentavi. Testimonium maturitatis nactus Coloniae a. MDCCCXXXIV. Bonnam me contuli, ubi numero civium academiae rector magnificus beatus Naeke me adscripsit, in facultatem medicam illustris Bischoff decanus me recepit.

Quibus ibi interfui lectionibus, hae sunt: zoologia apud Ill. Goldfuss; chemia experimentalis apud Ill. Bischoff; physice apud beatum a Münchow; logice et psychologia apud Ill. van Calker; botanice apud Ill. Treviranus; mineralogia apud Cel. Noeggerath. Quod ad scholas medicas, audivi disserentes: de encyclopaedia, de pathologia et therapia generali et speciali Ill. Naumann; de anatomia Ill. Mayer et Weber, qui viri duces mihi quoque fuere in secandis cadaveribus; de physiologia Cel. Windischmann; de materia medica Ill. Albers; de chirurgia Ill. Wutzer, de arte obstetricia et de instrumentis obstetriciis Ill. Kilian.

Autumno anni MDCCCXXXVI. hanc almam academiam Fridericam Guilelmam petii, cujus civibus me adscripsit rector M. Ill. **Busch**, et in medicam facultatem me accepit decanus Ill. **Wagner**.

Inde ab eo tempore praeceptoribus gavisus sum: Ill. **Mueller** de anatomia comparata, Ill. **Schlemm** de operationibus.

Scholis clinicis interfui virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum: **Barez**, **Busch**, **Juengken**, **Rust**, **Truestedt**, **Wagner**, **Wolff**. Quibus praeceptoribus pro suis de me meritis polliceor, semper gratum me servaturum esse animum.

Nunc autem, postquam superavi tentamen philosophicum et medicum, et examen rigorosum coram gratioso medicorum ordine, spero, dissertatione atque thesibus defensis, summos in medicina et chirurgia honores me consecuturum esse.

THESES.

1. Gastromalaciae nullum signum pathognomonicum.
2. Gastritis chronica et dyspepsia distingui non possunt.
3. Cancer cultro non sanatur.
4. In levioribus syphilidis casibus hydrargyri usum valde vitupero.
5. Gangraena nosocomialis interdum plus prodest quam nocet.